

esse, ubi eorum ossa sacrata vel corpora requiescunt, que sibi reddenda in die novissimo beata immortalitate vestita felici expectatione ac desiderio prestolantur, ut purissimis animabus aliquando caro eadem societur in fructu mercedis, qui in huius vite laboribus ut inmeritum obediens et ministerium illis prebuit et iuvamen: nimirum ista credentes, loca, in quibus sanctissimas locaverunt exuvias, et devota visitatione requirimus et celebri studio veneramur, ut illorum pia memoria sanctitatis affectum amplius et perfectius igniat et inflammet et nostri cordis ignaviam prorsus excuciat et torporem, tantoque benigna eorum exaudicione nos faciat digniores, quanto fervencior estus atque instantia fuerit invocandi. Hec nos ideo dixisse noveritis, quia cum doctrinarum ac meritorum beatissimi patris Ariopagite Macharii Dyonisii nos tam fama quam leccio permovisset, ut corpus eius sanctum ac venerabile^a, ubicumque locorum id esse constaret, honorare, requirere, venerari studiosissime flagrarem, disponente Deo, perutilis, sicut exitus demonstravit, super eodem corpore nobis obstitit ambiguitas, cum Franci id se habere constanter assererent, Ratispona vero precipua et principalis urbs urbium Noricarum cum incolis suis constancius testaretur, dictum corpus per illustrem Arnolfum quondam imperatorem translatum ex Francia in ecclesia sanctissimi martiris Emmerami esse depositum. Quam quidem serenissimus Karolus Magnus, proavus scilicet eiusdem Arnolfi^b, ad honorem principis apostolorum ac martiris memorati regali sumptu ac liberalitate fundavit, imperiali eandem donacione sublimans atque immediate apostolice sedis eam regimini subiciens et tutele, statuens illam sedis episcopalis in urbe iam dicta sociam esse perpetuam et sororem ac paribus privilegiorum honoribus coequari. Cum igitur hec^c scrupulosa dubietas diutina nos hesitatione suspenderet ac pro neutra parcium sineret diffinire, nos hoc incertum ulterius non ferentes divinitus inspirati sanctissimum papam Leonem nonum ad rei discussionem atque ad litem hanc evocavimus terminandam. Qui nostris petitionibus se inclinans necnon et errori compaciens ovium creditarum boni^d pastoris exemplo, ad urbem Ratisponensium nobiscum accedere non despexit, translatoque corpore beati Wolfgangi episcopi civitatis eiusdem, aliisque omnibus, quorum gracia venerat, rite dispositis, ad nodum memorate dubietatis finaliter dissolvendum diligenti scrutinio vertebatur. Nobis igitur multisque presentibus archyepiscopis, episcopis ac abbatibus aliisque prelati ecclesiarum velud alter Salomon inter Francie Ratisponeque discordiam scrupulosam tamquam mulieribus super filio litigantes verus et medius arbiter intersedit reique omni-

a) venerabilem *corr.* venerabile c.

b) Arnolffii c.

c) hoc c.

d) bone c.